

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2024-2025

Devoir sur table de validation du S1

Mardi 17 décembre 2024, 8h30-12h30

Version latine n°5 DST : tous esclaves

La liberté n'est rien d'autre que l'exercice de la vertu et de la sagesse : quiconque cède à la passion en devient l'esclave.

Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

[An ille mihi liber cui mulier imperat, cui leges imponit, praescribit, iubet, uetat quod uidetur, qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet ? Poscit, dandum est ; uocat, ueniendum ; eicit, abeundum ; minatur, extimescendum. Ego uero istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.

Atque, ut in magna familia stultorum, sunt alii lautiores, ut sibi uidentur, serui, sed tamen serui, atrienses ac topiarii stultitiae suae, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. Et « sumus » inquit « principes ciuitatis ». Vos uero ne conseruorum quidem uestrorum principes estis ; sed ut in familia qui tractant ista, qui tergent, qui ungunt, qui uerrunt, qui spargunt, non honestissimum locum seruitutis tenent, sic in ciuitate qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius seruitutis locum paene infimum obtinent. « Magna » inquit « bella gessi, magnis imperiis et prouinciis praefui ». Gere igitur animum laude dignum. Aetionis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Polycleti. Mitto unde sustuleris, quo modo habeas ; intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum uideo, seruum esse ineptiarum omnium iudico.]

« Nonne igitur sunt illa festiua ? » Sint — nam nos quoque oculos eruditos habemus — sed, obsecro te, ita uenusta habeantur ista, non ut uincla uirorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid enim censes ? Si L. Mummius aliquem istorum uideret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum ciuem excellentem an atriensem diligentem putaret ? Reuiuescat M'. Curius aut eorum aliquis, quorum in uilla ac domo nihil splendidum nihil ornatum fuit praeter ipsos, et uideat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullos exceptantem de piscina et pertractantem et murenarum copia gloriantem : nonne hunc hominem seruum iudicet, ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet ?

Cicéron